

c) Immo est scientia maxime *necessaria*, quia omnium scientiarum suppeditat et demonstrat principia, quibus nituntur. Qui igitur metaphysicam destruit, fundamentum evellit omnium scientiarum et viam aperit latissimam omnibus funestissimisque erroribus, quod nostro praesertim tempore apparet, quo, spreta metaphysica, tot tamque perniciosi errores et dissensiones in omnes partes philosophiae, indeque in vitam privatam, socialem, publicam irrepserunt.<sup>1)</sup>

3. *Divisio*: Quum ontologia rationem entis explicet, potest illam considerare et in se et respectu inferiorum, in quibus invenitur, et ratione perfectionis. Unde tractandum est: a) de ente transcendentali, b) de ente praedicamentali, c) de entis perfectione.

### Liber primus: De ente transcendentali.

(1. *Notio entis*: Mens nostra praedita est facultate reflectendi in conceptus suos obiective spectatos, eorumque notas inter se distinguit et ab invicem praescindit. Hac mentis praecisione ideae novae eaque magis universales et simplices efformantur, dum perveniamus tandem ad notionem *entis*, quam omnium maxime simplicem deprehendimus, ita ut nihil iam ab ipsa praescindi possit; nam ultra rationem entis non invenitur nisi purum nihil. *Simplicitas et immaterialitas*, quae huic rationi entis tribuitur, non est positiva tanquam aliquid existens in se et per se, sed est negativa, i. e. effecta per abstractionem, unde non existit formaliter nisi in conceptu, i. e. in mente abstrahente, cum fundamento tamen in re.

2. *Natura entis abstracti*: Haec igitur ratio simplicissima et abstractissima vocatur *ens transcendentale*: *Ens*, quia solum nihilo opponitur; *transcendentale*, quia sub nullo genere continetur, sed omnia supergreditur et invenitur in omni genere, specie, differentia iam implicite contentum.) Patet igitur, *ens transcendentale*: a) *definiri non posse*: neque definitione essentiali, quia sub nullo genere continetur, et omnes differentias iam in se continet; neque definitione propria, descriptiva vel genetica, quia omnes conceptus rationem entis supponunt; b) neque *indiget definitione*, quia omnium conceptuum simplicissimus est et clarissimus, quum sit primum, quod in omni cognitione apprehendamus tanquam obiectum formale mentis.<sup>2)</sup> Deinde patet, *ens transcendentale esse comprehensione minimum*, quippe quod una nota constet simplici; *extensione vero maximum*, quum in omnibus rebus, quae sunt vel esse possunt, ratio entis inveniatur.

<sup>1)</sup> Cfr. Commer, Immerwährende Philosophie, Wien, 1899, p. 105; Fischer, Grundproblem d. Metaphysik, p. 1, sq. <sup>2)</sup> Cfr. critic. p. 345 sq.

3. *Divisio entis*: Ens secundum S. Thomam<sup>1)</sup> triplex distingui potest: esse essentiae, esse existentiae, esse logicum (copula propositionis). *Esse essentiae*, per *nomen* „esse“ significatum, est illud, quod potest esse et quidem in rerum natura, non in sola mente; et opponitur nihilo essentiae, i. e. nihilo absoluto vel metaphysico. *Esse existentiae*, per *verbum* „esse“ significatum, est id quod in rerum natura (subiective) actu existit, et opponitur nihilo existentiae, i. e. nihilo positivo seu physico. *Esse logicum*, per *copulam* „est“ significatum, est id, quod solum obiective, i. e. ut obiectum cognitionis in sola mente existit et existere potest, e. g. iudicia obiective spectata. In metaphysica solum esse reale tum essentiae, tum existentiae consideratur. Esse essentiae autem seu *posse esse* et esse existentiae seu actu esse (existere) vocantur duplex *status*, in quo ens inveniri potest, non vero species entis, quia nulla differentia realis ad rationem entis addi potest, quae in ipsa non iam insit. Si autem „ens“ abstrahit ab omni statu, i. e. existentiam neque includit neque excludit, habetur „ens ut sic“, quod igitur praeservative, non negative (exclusive) sumitur, et vocatur *ens transcendentiale*.<sup>2)</sup>

4. *Synonyma et attributa entis*: Synonyma entis sunt: *res* et *aliquid*. *Res* significat potius essentiam entis positive; *aliquid* (= aliud quid) ens distinguit ab aliis, unde potius negative illud significat. Attributa vero entis sunt: *unum*, *verum*, *bonum*. Haec attributa, ut patet, nil addunt realitatis ad rationem entis, sed eam vel in se (*unum*) vel relate ad potentias nostras (intellectum = verum

<sup>1)</sup> S. Thom. quaest. disp. de verit. qu. 1 a. 1. <sup>2)</sup> Sunt, qui ens transcendentalis vocent „compositum ex essentia et esse (existentia)“, unde restrinxunt illud ad res existentes, sicut etiam categorias ita, ut non-existentibus et non-compositis solum analogice convenient. Sed quum ens transcendentalis ut conceptus directus i. e. quoad suam *comprehensionem* sit praedicatum essentiale et intrinsecum omnium rerum, non posset iam praedicari vere et proprie de rebus non-existentibus i. e. possibilibus, quia non existunt; neque de Deo, quia non est compositus ex essentia et existentia. Neque analogice de eis praedicari posset, si quidem analogia *intrinseca*, de qua hic agitur, supponit id, quod conceptus exprimit, *vere et formaliter* in omnibus analogatis inesse, licet diverso modo (cfr. dialect. p. 22 et infra § 2); Deus igitur et possibilia neque proprie neque analogice essent entia. Et si analogice essent entia, hoc essent per relationem ad ens existens et compositum, quum tamen, omnibus patentibus, ratio entis *primo* insit in Deo, deinde per relationem ad ipsum in rebus a Deo dependentibus. *Ontologia* autem considerat *obiectivam* rationem entis, non modum *subiectivum* cognitionis nostrae i. e. modum, quo formamus *notionem* entis per abstractionem. Ceterum „ens transcendentiale“ illud est ex conceptu suo, quod abstrahit ab omni determinatione ac proinde etiam a statu existentiae et ab omni compositione. Cfr. De Maria, Philos. peripat. schol. I, 332. Remer, Summa paelect. philos. I, 206.

et voluntatem = bonum) magis determinant; unde illa attributa aequae sunt transcendentalia ut ens, et in omnibus rebus necessario inveniuntur.

Primum igitur tractandum est de „ente ut sic“; deinde de duplice statu entis: de actu et potentia; tertio de attributis entis.

### **Caput I: De natura entis transcendentalis.**

#### **§ 1. De unitate rationis entis.**

*Thesis I: Conceptus entis transcendentalis est in se unus.*

(*St. qu.* 1º Sicut omnis conceptus, ita etiam *conceptus entis* potest considerari subiective et obiective; *subiective* spectatus est ipse actus cognitionis seu species expressa, quae in se quidem (in essendo) est individualis, sed multa, immo omnia repraesentat, ac proinde universalis est in repraesentando; *obiective* spectatus est ratio obiectiva realis per conceptum expressa, i. e. universale in essendo et praedicando. In thesi conceptus entis potius *obiective* spectatur.

2º *Ens transcendental* est illud, quod praescindit tum a mera possibilitate tum ab existentia; non significat nisi esse extra nihil. Propterea „ens ut sic“ nonnisi *comprehensionem* conceptus significat, seu id quod praedicatur, nullo modo attendens ad *modum*, quo ens in singulis existit vel existere potest, seu quo res singulae nihil opponuntur; agitur igitur in thesi de conceptu directo entis, non reflexo.

3º Unitas conceptus *obiective* spectati (nam *subiective* ut actus consideratus semper est res una singularis) in eo est, ut ratio *obiectiva*, quam exhibet, non sit in se divisa, i. e. ut eadem ratio in omnibus rebus revera proprie et intrinsecus inveniatur, de quibus conceptus praedicatur. Iam vero haec unitas conceptus logica potest esse perfecta, i. e. univoca, et imperfecta seu analoga; de qua divisione infra in thesi V plus dicetur; modo sufficit affirmare, conceptum entis habere veram *aliquam* unitatem, ita ut eadem ratio *obiectiva* vere et intrinsecus insit in rebus.

4º Haec thesis adversatur iis, qui rebus non propriam entitatem (substantialitatem, vitam etc.) concedunt, sed soli enti cuidam absoluto, cuius omnes res essent mere phaenomena subiectiva, ut Pantheistae Brahmani et Eleates, necnon idealistici seu subiectivi (Fichte, Hegel) et phaenomenalistae vel panpsychistae moderni (Schuppe, Avenarius, Laas etc.)<sup>1)</sup> somniantur.

*Prob. 1. Ex natura conceptus entis:* Ens transcendental est illud, quod praescindit ab omni modo speciali et statu existendi, et exhibet

solum illam rationem obiectivam, qua opponitur nihil absoluto. Atqui omnes res: tum Deus tum creature, tum res existentes tum impossibles, tum substantiae tum accidentia in eo convenient, quod non sunt nihil, et illud quidem vere, proprie et intrinsecus omnibus inest. Ergo conceptus „entis ut sic“ est unus eamque exprimit rationem obiectivam, in qua omnes res convenient.

2. *Ex natura rerum:* Res omnes, quamvis in multis maxime differant, per hoc tamen sunt similes, quod sunt *aliquid*, vel *possunt* saltem *aliquid* esse, et haec ratio entis omnibus intrinsecus inest; secus enim revera non essent. Atqui ea est mentis nostrae vis abstrahendi et praescindendi, ut possimus rationes, licet non realiter; formaliter tamen distinctas, ab invicem separare et illud solum concipere, quod habent commune; alioquin nullos conceptus universales formare possemus. Ergo possumus concipere rationem aliquam omnibus rebus communem, sc. rationem entis, ac proinde hic conceptus est in se unus.

(3. *Per exclusionem:* Ratio, cur conceptus „entis ut sic“ non esset unus, esset, quia aut in se esset distinctus, aut ab aliis non esset distinctus; unum enim est illud, quod in se non est distinctum, et ab omnibus aliis est distinctum. Atqui conceptus entis ut sic: a) non est in se distinctus; nam eandem semper rationem exprimit sc. oppositionem ad nihil absolutum, haec autem ratio in omnibus rebus eadem est et ipsis vere, proprie, intrinsecus inest; non sicut ratio sanitatis, quae alia est in homine, alia in cibo, alia in vultu, ac proinde in se non est una eademque. Ergo conceptus entis in se non est divisus, neque distinctus. b) Est autem distinctus ab aliis conceptibus; nam 1º ratio „entis ut sic“ est formaliter, i. e. intrinsecus et essentialiter distincta ab omnibus aliis, e. g. a ratione substantiae, accidentis, hominis, lapidis; alias enim non posset concepi sine ratione substantiae, hominis etc. Ergo etiam conceptus, quo illa ratio ab aliis formaliter distincta exhibetur, est distinctus ab aliis conceptibus. 2º Ratio, cur conceptus entis non esset distinctus ab aliis, esset: quia a) differentias omnes iam in se contineret ac proinde omnes conceptus iam in se concluderet. Atqui licet eas implicite in se contineat, neque perfecte ab iis praescindere possit, tamen explicite non continet, quod sufficit ad formalem distinctionem. Ergo conceptus „entis ut sic“ potest sine eis formari et intelligi. β) Vel quia differentiae rationem entis intrinsecus et metaphysice immutant, e. g. in substantia, in accidente etc. Atqui si hacc ratio valeret, conceptus plurimi non essent distincti; nam res omnes conceptibus repraesentatae in se sunt singulares, ita ut substantia angelii intrinsecus sit alia atque hominis; immo natura humana Petri intrinsecus alia est ac Pauli. Omnes autem homines conceptus, e. g.

1) Cfr. Müller, System der Philos., p. 20.

substantiae, angeli, hominis, Petri etc. diversos esse statuunt; secus tota logica periret, neque aliud esset nostra cognitio, nisi lusus mentis inanis. Ergo conceptus „entis ut sic“ est ab aliis formaliter distinctus ac proinde vere, proprie, intrinsecus unus.)<sup>1)</sup>

*Thesis II: Conceptus entis non est physice unus.*

St. qu. 1<sup>o</sup> Nota, triplicem distingui unitatem: physicam, metaphysicam, logicam. a) *Physica* adest, si partes realiter inter se distinctae unam naturam *physice* compositam constituunt, e. g. corpus et anima hominem. b) *Metaphysica* adest, si partes realiter et *physice* quidem idem, ratione tamen distinctae unam realem essentiam *metaphysicam* constituunt, e. g. animalitas et rationalitas naturam humanam; et haec distinctio partium in unitate aliqua *metaphysica* habet fundamentum perfectum in re. c) *Unitas logica* adest, quando partes, quae unitatem constituunt, neque *physice* neque *metaphysice*, id est cum fundamento perfecto in re, distingui possunt, sed si una alias non quidem explicite et formaliter, sed implicite includit, neque sine aliis vel esse vel etiam perfecte intelligi potest, e. g. Dei iustitia et sapientia. Quaeritur igitur, quae unitas conceptui entis sit tribuenda, num *physica*, ita ut differentiae genericae, specificae et individuales ad ipsum tanquam partes *realiter* distinctae accedant; an *metaphysica*, ita ut notae ens determinantes *virtualiter* et quidem cum *fundamento perfecto* in re ab ipso sint distinctae; an solum *logica*, ita ut differentiae rationem entis ad inferiora contrahentes, in ipsa implicite iam lateant et contractione entis solum *explicite* exprimantur.

2<sup>o</sup> In hac thesi non agitur de conceptu directo entis, sed de *reflexo*; quaeritur quomodo ratio obiectiva entis in inferioribus, i. e. in rebus singulis inveniatur, quo modo res nihilo opponantur; num ratio entis aliqua transcendentalis existat in rebus in se *physice* una et universalis, realiter distincta a ratione substantiae vel accidentis, humanitatis etc.

3<sup>o</sup> Hoc quidem affirmat *pantheismus* obiectivus<sup>1)</sup>, statuens res nil esse nisi emanationes vel evolutiones entis cuiusdam absoluti tanquam eius accidentia seu phænomena; deinde *formalismus*, ut Platonici, qui universale formaliter a parte rei existere putant; tandem aliquando *Scotistae*, entis rationem universalem, sicut omne universale, a parte rei existere arbitrantes et a differentiis non quidem perfecte realiter, sed distinctione *formali ex natura rei* distinguentes.

*Prob. 1. Ex natura entis:* Si conceptus entis esset *physice* unus, ita ut differentiae vel modi eum ad inferiora contrahentes

<sup>1)</sup> Stoici, Neoplatonici, Gnostici, Manichæi, Scotus Eriugena, Platonici, medii aevi (Giordano Bruno), Spinoza, Schelling, Schopenhauer, E. v. Hartmann etc. *(V) na metaphysica unus*

realiter ab ipso different, ratio entis obiectiva a parte rei esset aut aliquid universale, aut aliquid singulare. Atqui neutrum admitti potest: a) non est quidquam *universale*; nam, ut in critica ostendimus, universale a parte rei existens et rationi et factis repugnat; b) neque est quidquam *singulare*; nam illud singulare iterum constaret ex ratione entis et modo singularitatis, ac proinde in infinitum esset progrediendum. Ergo ratio entis a parte rei non distinguitur *physice* a modo suo existendi, et per consequens conceptus entis non est *physice* unus.)

2. *Ex natura differentiae seu modi contrahentis:* Nam illa differentia seu modus, quo ratio entis determinatur, e. g. ad rationem substantiae (= esse per se, per seitas) vel hominis (= esse animalitatis et rationalitatis), aut est ens, aut non est ens. Atqui si est ens aliquod, iterum modus entis ab ipso „ente ut sic“ realiter differret, unde in infinitum procedendum esset; si vero non est ens aliquod, nihil est, ac proinde neque potest ens ullo modo determinare; non igitur esset differentia vel modus. Ergo differentiae seu modi entis ab ipso realiter differre nequeunt, unde patet, conceptum entis non esse *physice* unum.

3. *Per exclusionem:* Sola ratio, cur distinctio illa *physica* admittenda sit in sententia Scotistarum<sup>1)</sup>, est distinctio ipsa conceptum entis eiusque modorum. Atqui haec distinctio non requirit, ut ostendimus, *physicam* ullam sive realem distinctionem rerum, quae conceptu distinguuntur; sufficit enim praecisio mentis obiectiva cum fundamento sive perfecto sive imperfecto in re; immo ratio nostra non unquam valet etiam sine fundamento in re distinguere, quae sunt identica. Ergo distinctio conceptum entis eiusque modorum non requirit realem distinctionem in rebus conceptis.

4. *Ex absurdis:* Si ratio entis in rebus esset *physice* una, sequeretur, nullas res plures inter se realiter et *physice* distinctas esse, neque quidquam novi fieri posse. Atqui hoc absurdum est. Ergo ratio entis non est *physice* una.

*Prob. maior.:* Realis et *physica* rerum distinctio supponit, unam rem realiter et *physice* non idem esse atque aliam; et aliquid realiter fieri supponit, prius illud non fuisse et esse *physice* distinctum a rebus iam existentibus. Atqui si ratio entis *physice* una est, praeter illam nil reale et *physicum* inveniri potest; sicut si unus homo tantum possibilis esset, nullus praeter ipsum esse et nasci posset; nihil enim potest esse, quod non sit ens. Ergo res plures.

<sup>1)</sup> Idem dicendum est de Pantheistis, qui intuitionem quandam absoluti supponunt, confundentes eam cum apprehensione entis abstractissimi.